

pulum enim Dei pertinent, etsi non per virtutem, certe per speciem pietatis: de illis enim audivimus Apostolum: « In novissimis temporibus instabunt tempora sæva; erunt enim homines se ipsos amantes¹. » Primum malum, « Se ipsos amantes: » utique sibi placentes. Utinam sibi displicerent, et Deo placerent: utinam in difficultatibus exclamarent, et a necessitatibus liberarentur. Sed multum de se præsumentes, « Pauci facti sunt. » Manifestum est, fratres: omnes qui se dividunt ab unitate, pauci fiunt. Multi enim sunt; sed in unitate, dum non separantur ab unitate. Cum enim cœperit ad eos non pertinere multitudo unitatis, in hæresi et in schismate pauci sunt. « Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum » et dolore. Effusus est contemptus super principes². » Reprobati enim sunt ab Ecclesia Dei: et magis, quia principes esse voluerunt, ideo contempti sunt, et facti sunt sal infatuatum projectum foras³; ideo conculcatur ab hominibus. « Effusus est contemptus super principes. Et seduxit eos in invio, et non in via. » Illi superius in via, illi ad civitatem directi; denique deducti, non seducti: isti autem in invio seducti. Quid est, « Seduxit eos? Tra- » didit illos Deus in concupiscentias cordis eorum⁴. » Hoc est enim, « Seduxit, » donavit illos sibi. Nam si proprie quæras, ipsi se seducunt. « Qui enim putat se esse » aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit⁵. » Quid est ergo, « Seduxit eos? » Dimisit eos. « In invio, et non in » via. » Quomodo enim in via homines, qui partem tenent, et totum relinquunt? Quomodo in via? Quæ est ergo via, aut ubi agnoscitur via? « Deus, inquit, misereatur nostri, et benedicat nos, illuminet vultum suum super nos, » ut agnoscamus in terra viam tuam. » Qua terra? « In om-

¹ 2 Tim. iii, 2. — ² Psal. cvi, 40. — ³ Matth. v, 15. — ⁴ Rom. 1, 24. — ⁵ Gal. vi, 3.

» nibus gentibus salutare tuum¹. » Utique tales ut minuantur, ut pauci fiant, hinc exeunt: a multitudine unitatis omnes exierunt, sicut paulo ante commemoravi dictum de illis: « Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim » ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum². » Sed si forte nostri sunt in occulta præscientia Dei, necesse est ut redeant. Quam multi non nostri adhuc quasi intus, et quam multi nostri adhuc quasi foris? « Novit Dominus » minus qui sunt ejus³. » Et illi non nostri qui intus sunt, quando occasiones invenerint, exeunt: et illi nostri qui foris sunt, quando occasiones invenerint, redeunt. Illud ergo accipite quod vovit Deus, secundum hoc « Seduxit » eos in invio, et non in via. » Et quid de illis fecit? Quod dicere cœperam, quod attente audiatis. Potuit illos pati intus semper, sed nos de illis non proficeremus: cum autem separati sunt, et per quæstiones malignas inquietant nos, propositum est nobis ex illis et inquisitionis studium, et timoris exemplum. Unusquisque tremit, cum alterum videt exisse, tanquam ex illius exitu dicatur illi, » Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat⁴. » Pro sunt ergo quia exeunt: nam si intus essent, et tam mali essent, nihil de illis prodesset. Quid de illis dictum est in quodam Psalmo? « Congregatio taurorum, id est, cervicorum et superborum: congregatio taurorum inter » vaccas populorum. » Vaccas dicit seductiles animas, quæ facile consentiunt seductoribus tauris. Sed quare hoc? « Ut excludantur hi qui probati sunt argento⁵. » Quid est, ut excludantur? Ut appareant, ut emineant illi qui sunt probati in eloquio Dei. Cum enim respondetur hæreticis ex necessitate, ædificantur catholici ex utilitate. Hanc sententiam plane Paulus expressit: « Oportet enim, inquit,

¹ Psal. lxvi, 2, 3. — ² 1 Joan. ii, 19. — ³ 2 Tim. ii, 19. — ⁴ 1 Cor. x, 12. — ⁵ Psal. lxxvii, 31.

» hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis¹. » Oportet et tauros seducentes esse, « Ut qui probati sunt argento, » manifesti sint, hoc est, « Excludantur. » Quid est, argento probati? « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum terræ, purgatum septuplum². » Quicumque sunt probati in hoc argento, id est, in eloquio Domini, non possunt plene exerere hoc argentum, nisi quæstionibus inquietati hæreticorum. Et hic attendite, quia non prætermisum est. « Ecce effusus est contemptus super principes, » super illos tauros. Quare contempti sunt? Aliud annuntiantes. Quid sunt contempti? Anathematizati. « Quisquis enim vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit³. » Quid tam contemptum quam sal infatuatus⁴, qui foras projectus conculcatur? Et videte si non principes sunt; ipsum Paulum audite. « Licet si nos aut Angelus de cœlo evangelizaverit » vobis præterquam quod accepistis, anathema sit⁵. » Principes sunt, docti sunt, magni sunt, lapides pretiosi sunt. Quid adhuc dicturus es? numquid Angeli sunt? Et tamen « Etsi Angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit. » Quia et ipse diabolus angelus de cœlo lapsus est. « Effusus est ergo » contemptus super principes. Et adjuvit pauperem a mendicitate⁶. » Quid est hoc, fratres, contempti sunt principes, et adjutus est pauper? Abjecti sunt superbi, et instructus est humilis. Hoc fecit, et hoc faciendo « Adjuvit » pauperem a mendicitate. » Mendicus est ille, nihil sibi tribuens, totum de misericordia Dei expectans ante januam dominicam quotidie clamat, pulsans ut aperiatur ei, nudus et tremens ut vestiatur, oculos in terram dejiciens, et pectus tundens. Istum mendicum, hunc pau-

¹ 1 Cor. xi, 19. — ² Psal. xi, 7. — ³ Gal. 1, 9. — ⁴ Matth. v, 13. — ⁵ Gal. 1, 8. — ⁶ Psal. cvi, 41.

perem, hunc humilem, adjuvit Deus plurimum, etiam de ipsa separatione hæreticorum: quia pauci facti sunt, et vexati sunt, et seducti in invio et non in via. Denique quid postea ex illis deminutis, seductis, paucis factis, vexatis, in adjuto paupere quid fit? « Et posuit sicut oves » familias. » Quasi unum pauperem et unum mendicum intelligebas, de quo dixit, « Et adjuvit pauperem a mendicitate. » Pauper iste multæ familiæ sunt, pauper iste multæ plebes sunt: multæ Ecclesiæ una Ecclesia, una plebs, una familia, una ovis est. « Et posuit sicut oves » familias. » Magna mysteria ista, magna sacramenta, quam profunda, plena mysteriorum; quam dulciter inventa, quia diu latentia. Ergo, « Videbunt recti, et jucundabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum¹. » Iniquitas illa garriens contra unitatem, et cogens manifestari veritatem, convicta « Oppilabit os suum. »

XV. « Quis sapiens? et custodiet hæc, et intelliget miserationes Domini². » Videte quo fine clausit: « Quis » sapiens? et custodiet hæc. » Et quid custoditurus est sapiens? Id est, si pauper sit, custodit; si non sit dives, id est, non sit superbus, non sit inflatus, custodit hæc. Quare enim custodit hæc? Quia « Intelliget miserationes » Domini: » non merita sua, non vires suas, non potentiam suam; sed « Miserationes Domini, » qui errantem et egentem in viam deduxit et pavit; qui pugnantem adversus difficultatem peccatorum, et colligatum vinculis consuetudinis solvit et liberavit; qui fastidientem verbum Dei, et tædio quodam pene morientem, missa medicina verbi sui recreavit; qui periclitantem inter naufraga et procellosa discrimina, mari placato, ad portum perduxit: qui eum denique constituit in eo populo, ubi humilibus dat gratiam, non in illo ubi superbis resistit; et fecit eum

¹ Psal. cvi, 41. — ² Ibid. 42.